

AENEIDOS XII

Aeneas mortem contra praesensque minatur 760
 exitium, si quisquam adeat, terretque trementis
 excisurum urbem minitans et saucius instat.
 quinque orbis explent cursu totidemque retexunt
 huc illuc; neque enim leuia aut ludicra petuntur
 praemia, sed Turni de uita et sanguine certant. 765
 Forte sacer Fauno foliis oleaster amaris
 hic steterat, nautis olim uenerabile lignum,
 seruati ex undis ubi figere dona solebant
 Laurenti diuo et uotas suspendere uestis;
 sed stirpem Teucris nullo discrimine sacrum 770
 sustulerant, puro ut possent concurrere campo.
 hic hasta Aeneae stabat, huc impetus illam
 detulerat fixam et lenta radice tenebat.
 incubuit uoluitque manu conuellere ferrum
 Dardanides, teloque sequi quem prendere cursu 775
 non poterat. tum uero amens formidine Turnus
 'Faune, precor, miserere' inquit 'tuque optima ferrum
 Terra tene, colui uestros si semper honores,
 quos contra Aeneadae bello fecere profanos.'
 dixit, opemque dei non cassa in uota uocauit. 780
 namque diu luctans lentoque in stirpe moratus
 uiribus haud ullis ualuit discludere morsus
 roboris Aeneas. dum nititur acer et instat,
 rursus in aurigae faciem mutata Metisci
 procurrit fratrique ensem dea Daunia reddit. 785
 quod Venus audaci nymphae indignata licere
 accessit telumque alta ab radice reuellit.
 olli sublimes armis animisque relecti,
 hic gladio fidens, hic acer et arduus hasta,
 adsistunt contra certamina Martis anheli. 790
 Iunonem interea rex omnipotentis Olympi